

*Sexta* notitiam reliquorum nonnullorum ad octo aufcultationis libros atinentium sup-  
peditabit.

*Septima* de mundo disputabit, quando qui-  
dem Deus ipsum tradidit disputationi hominum.

*Octava* calorum numerum, & naturam  
perferutabitur.

*Nona* ad elementa descendet.

*Decima* erit de ortu, & interitu.

*Undecima* circa animam animabitur.

*Duodecima* animæ potentias in vniuersum  
exquiret, earumque numerum determinabit.

*Decima tertia* specialiter vegetatiuum in-  
tuebitur.

*Decima quarta* sensitiuum.

*Decima quinta* intellectiuam.

*Decima sexta* eius potentias secundum se,  
earumque obiecta luculenter elucidabit.

De vno maxime monitum velim lectorem  
à nobis religiose obseruando, nimirum ad ma-  
iorem eius commoditatem, doctrinam commu-  
niter in schola receptam, quando ipsi inhære-  
bimus, in initio disputationum succindè refe-  
remus, ne transcriptione eorum, quæ apud om-  
nes reperiuntur, & communia sunt, in nimium  
excreseat opus, ex eorumque inutili repetitione  
potiorum difficultatum diligens, & exacta præ-  
ripiatur discussio.

Procedemus autem more solito, vbi enim  
grauior occurret difficultas, & præsertim con-  
trouersa inter Thomistas, & Scotistas, peculia-  
ribus Clypeis vtriusque scholæ fundamenta ia-  
ciemus, eorumque robur ponderabimus, dein-  
de in fine partitionis, quid resoluendum sit,  
omni meliori modo, quo poterimus, indicabi-  
mus.



## DISPUTATIO PRIMA.

DE

## PROTHEMATIBVS PHYSICIS.

*Aperitur Disputationis status.*



**R**ETERMISSIS verbosis ex-  
ordijs, quibus Recentiores vt  
solent, intentum nostrum cir-  
ca naturam Physicæ breuiter  
discoperimus, occupantur, in-  
quam, plerique Recentiores  
in initio huius Tractatus blan-  
dis verborum lenocinijs circa Encomia, totiùs  
que Philosophiæ diuisionem, quæ omnia apud  
Conimbricenses *questionibus proemialibus huius  
operis*, & Perretium pluribus libri primi suorum  
*Physicorum Capitibus* legenda remittimus, in so-  
lòque naturalis scientiæ determinando obiecto  
principaliter gradum figimus, quod fiet *parti-  
tione primâ*, in *secunda* verò nonnulla alia ad  
Physicæ naturam meliùs patefaciendam, vtpote  
communiter recepta, conformiter ad commu-  
nem doctrinam referemus potiùs, quàm exami-  
nabimus.

### Partitio I.

*Quodnam sit obiectum scientiæ  
naturalis.*

**H**ABENT cæteri artifices, in quo Philosophos  
irrideant, illi enim circa sibi determinatè  
notam absque vlla vacillatione diriguntur ma-  
teriam, at Philosophi, si in aliqua controuersia  
dirimenda laborent, maxime id præstant in ar-  
signandis suis obiectis, hinc orta est tanta cir-  
câ stabiliendum Logicæ obiectum Logicorum dif-  
fonantia, vt iure dici debeat de obiecto Logicæ,  
*Tot capita, tot sensus*. Metaphysici altissima rerum  
principia indagantes, sapientiàmque præ cæteris  
proficientes, in hoc vnanimes non sunt, dum alij  
Deum, alij intelligentias, alij Ens, vt descendit

ad peculiare entis rationes, alij ens, vt ens, alij  
ens, vt includit ens pro accidens pro obiecto  
Metaphysicæ statuunt.

Nec in præsentî minor est opinionum di-  
uersitas circa Physicæ obiectum, vt videre est  
non modò apud Physicos in quæstionibus pro-  
emialibus, sed etiam apud alios in opusculis  
specialibus, vt apud Caietanum, *Questione illa  
aurea*, vt aiunt Thomistæ, *de subiecto scientiæ  
naturalis*, quæ habetur inter opuscula Caietani  
apud Aquilinum *additione secundâ in primam  
Physicorum*, Ferrariens. apud Nicoletum Ve-  
ruie *questione de subiecto Philosophiæ naturalis*,  
apud Aquilinum *initio Physicorum*, & alios.

Adducitque de proposita difficultate no-  
uem diuersas sententias Aquilinus, & hæc sunt.  
Paulus Venetus vult esse corpus naturale. Alber-  
tus Magnus corpus mobile, quidam Franciscus  
Louaniensis Corpus sensibile: Iandunus sub-  
stantiam mobilem, Caietanus Tienensis sub-  
stantiam sensibilem, Anselmus Papiensis ens  
naturale, Bernardinus Patavinus ait esse ali-  
quando ens sensibile; Portius Neapolitanus to-  
tum mundum, & Scotus *sexto Metaphysicæ quæstio-  
ne primâ*, & Scotistæ substantiam naturalem,  
hoc est, corpus naturale, his nouem addit, &  
Thomisticam, quæ est, quòd adæquatam Phy-  
sicæ obiectum est ens mobile, denique Aquili-  
nus dicit Physicam circa naturatum totam oc-  
cupari.

Sed esto verbo tenus discrepantes videan-  
tur pleræque ex allatis sententijs, in re tamen  
ipsa conueniunt: prima quidem quoad obie-  
ctum materiale concordat cum secunda, tertia,  
quarta, quinta, & cum Scotistis, nam substantia  
ibi debet sumi pro corpore, & proinde erit idem  
dicere

*Diuerse opi-  
niones.*